

LAURENTIUS adversus Sandaeum p. 35. & GERH. Conf. Cath. p. 1568. TH. ITTIGIUS de Haeresiarchis. S. I. c. II. p. 45. BEBELIUS Antiquit. Ecclesiast. Sec. I. p. 94.

§. XIX.

In eodem articulo fidei EUNOMIANORUM haeresin nobis adscribit BELLARMINUS loco, postremum citato, satis impudenter, ne quid gravius dicamus. *Eunomiani*, inquit, *similiter docebant, non posse homini ulla peccata nocere, modo fidem habeat*, & provocat ad Augustinum, qui dicat eam haeresin ex Paulo male intellecto ortam fuisse: addit tandem: At haec eadem est sententia omnium sectariorum hujus temporis: & locum ante ex Luthero citatum subjungit: *Tam dives est Christianus, ut non possit perire, etiamsi velit, quantumcunque male vivat, nisi nolit credere*: ex libro ejus de *Captivitate Babylonica*, qui Appendicem T. VI. Alcenburg. constituit. Hanc Bellarmini criminationem sequuntur ALPHONSUS DE CASTRO, COSTERUS, GRETZERUS, FORERUS, SCHERERUS, & qui alii in nobis exagitandis voluptatem quaesiverunt: partim apud B. GERH. loco citato adducti; Autores Speculi Brandenburgici, ideo nos pro Eunomianis proclamant, quod veteres Patres rejiciamus. Apol. p. 14. Nolumus vero in sectam Eunomianorum inquirere, ex omnibus enim antiquis monumentis, Epiph. haeres. 76. qui ipsos sub nomine Anomoeorum describit, Theodoret. haeret. Fab. L. IV. nec non Socrate & Sozomeno, constat satis, eos hunc errorem fovisse, quem illis tribuebat Bellarminus; concedunt etiam haud gravatim Centuriatores Magdeburg. Centur. IV. p. 220. nec opus est de hac re disquirere. Hoc vero etiam simul constare debebat accusatoribus, nostrae doctrinae cum illa nihil prorsus intercedere commercii. Quis enim ex nostratibus docuit unquam, *fidem sufficere ad salu-*
tem